Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



cc viij

ab eo fierj. Interrogabat autem illum multis sermonibus. At
ipse nichil illi respondebat. Stabant autem principes sa
cerdotum & scribe. stantes accusantes eum. Spreuit autem
illum herodes cum exercitu suo. & illusit indutum uesti
alba. & remisit ad pylatum. Et facti sunt amici hero
des & pylatus in ipsa die. nam antea inimici erant ad
inuicem. Pylatus autem conuocatis principibus sacerdotum &
magistratibus & plebe dixit ad illos. Obtulistis mihi
hominem quasi auertentem populum. et ecce ego coram uobis
interrogans nullam causam inuenio in homine isto.
ex his quibus eum accusatis. sed neque herodes. Nam re
misi uos ad illum. & nichil dignum morte actum est
ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat
dimittere eis. per diem festum unum. Exclamauit autem
simul uniuersa turba dicens. Tolle hunc. & dimitte
nobis barraban. Qui erat propter seditionem quidam facta
in ciuitate. & homicidium missus in carcerem. Iterum autem
pylatus locutus est ad illos. uolens dimittere ihm. At illi
succlamabant dicentes. Crucifige. crucifige illum. Ille
autem tertio dixit ad illos. Quid enim mali fecit iste. Nulla
causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum. &
dimittam. At illi instabant uocibus magnis postulan
tes ut crucifigeretur. Et inualescebant uoces eorum. &
pylatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem
illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in
carcerem quem petebant. ihm uero tradidit uoluntati eorum.
Et cum ducerent eum apprehendunt simonem quidam
cyrenensem uenientem de uilla. & imposuerunt illi crucem